DE APPARATV
NVPTIARVM OPTIMORVM MA
XIMORVM [illegible] SECVNDI AV
gusti, [illegible] Regis [illegible] atq; Reginę Elisabet, Fer-
dinandi [illegible] Regis &c. filię, de adventu
[illegible] Reginę ad nuptias, splendidissimorumq; [illegible]
[illegible] propositum auctore.

Per [illegible] Hispano in
Regno [illegible] Cracouiæ publico iuris
[illegible]

[illegible] ELISABE [illegible]
[illegible] &c. [illegible] autore.



DE APPARATV NVPTIARVM OPTIMORVM MAXIMORVM SIGISMVNDI SECVNDI AVgusti, Polonię Regis &c. atq; Reginę Eliſabes, Ferdinandi Romanorum Regis &c. filię. de aduentuq; ipſius Reginę ad nuptias, ſplendidiſſimoq; Regis occurſu, carmen properatum authore.

Petro Royzio Maureo, Iuriſconſulto, Hiſpano, in Regia Polonię vrbe Cracouia publico Iuris Ciuilis interprete.

Optimę maximę ELISABE Polonię Reginę &c. librum dicat author.



AVTOR AD LIBRVM.

I Liber, excelsa ELISABES pete limina felix.
ELISABES, nunc Augusta quæ cincta corona,
Regaleis adijt thalamos, sociumque cubile
Sauromatum Regis, Regnique in parte locata est.
Seu pulchro inuenias nectentem serta marito,
Sardonychem addentẽ circũ Smaragdosque virẽteis
Longæui aut regis solantem forte senectam,
Munera siue inter, magni quę plurima Reges,
Sarmatici proceres, equites. lectusque Senatus,
Miseruut versantem aurum, gemmasque micanteis,
Siue reuoluentem veterum monumenta virorum,
Vnde illi prima prudentia tanta iuuenta,
Difficileis ne crede aditus, intra, oscula dextræ
Augustæ figas, vultu excipiere sereno
Augustos decet hoc mores, sacramque coronam,
Ne dubita, i, fuerit de hinc cum data copia fandi,
Composito affare, & taleis redde ore loquelas.
Regina, Austriacum genus, alto a sanguine Regũ,
Iuppiter ętherea quam longum vescier aura,
Annuat, & thalamo multos gaudere per annos,
Regali thalamo, SISMVNDO Rege marito,
Ad te nos vates Hispanis natus in oris,
Accepere suo quę a flumine nomen Ibero,
Gente Royzæa, Maurea & gente profectum
Haud genus obscurum, legum haud ignotus in vrbe
Cracouia interpres, iustique æquique magister,
Ad te nos misit, iussitque hęc pauca reffere.

Cracouiam nuper uenienti occurere in vrbem,
In magno medium comitatu,præſtitit omnis
Quod tibi Sarmatia,in longis ſpectata cateruis,
Argento,gemma,& multo ſplendentibus auro,
Non opis illius,non illius iſta facultas.
Quod Phœbus,Muſæ,exactiq; dedere labores,
Hoc pręſtat Regina tibi,quorum una poteſtas.
Ergo repentino quæ fudit pauca calore,
Accipias Patris hęc curas,ſoceriq; renarrant,
Magnorum Regum,dum extremę: federa tedę
Theſauris cupidi nuper meditantur apertis.
Que Auſtriaci proceres,pceres que deinde Poloni
Preſtiterint,lecti quæ pręſtitit ordo Senatus,
Sauromatum quæ ipſi Reges,quæ Regia coniunx,
Gaudia quę populi,ſparſę & ſolatia plebis
Hæc tibi pro turmis,pro longis ille cateruis
Hæc tibi pro argento,pro gemmis mittit & auro
Illius hę gemmę,argentum hoc,hoc illius aurum
Hę turmę,hę nitido florentes ęre cateruę.
Suſcipias,orat,vultu Regina benigno,
Quæ fortaſſe olim,ſi quicquam carmina poſſunt,
Poſteritas leget,atq; ſequens mirabitur ætas,
Huius opes ſęcli,gentem,pompasq; ſuperbas.
Si labor hic primus,ſubitæ hęc ſi exorſa camænę,
Haud fuerint ingrata,leges,quę cętera reſtant.
Impoſitam capiti, Regni altum inſigne,coronam.
Tedamq;,extremæ & ſolennia gaudia tedæ,
Et quę miſerunt ingentia munera Reges,
Longe exultantes,& toto pectore læti,
Talia coniugia,& taleis celebrari hymeneos,

IAgellonęum genus Aſtriacumq; ſuperbo
Coniugio iunctura dies, & perpete uinclo
Aduentat, gẽti tantum exoptata Polonę
Romanę Ferdinandus Rex inclytus
Plurima pręterea cui regna ingentia parent, (urbis,
Auſtriacumq; ſolum, viciniq; ora Bohemi
SISMVNDO AVguſto, proles quæ ſola uirilis
Sauromatum Regi eſt, primis qui electus ab annis
Rex eſt Sauromatum, quẽq; unũ Regia ſceptra,
Poſt ſuprema manent longæui fata parentis,
Iungere cõnubio, uinclo & ſociare iugali
Pactam olim egregiã natam, extremũq; hymenæũ,
Exercere parat, rebusq; imponere finem.
Rex quoq; Sauromatum ſenior cura ardet eadẽ,
Optatamq; nurum regno ſuccedere & aulæ,
Iam dudum cupit, & coram uera ora tueri.
Si poſſit ſummum ante diem, longo obſitus æuo
Suſceptam ſobolem, paruosq; uidere nepotes
Subſidium generis, ſpacioſa ludere in aula,
Feſto ergo Reges ſe accingunt ambo iugali,
Ingenteis & opes reſeratis pandit uterq;
Theſauris, gazamq; omnem, pallẽtiaq; ęra,
Ingens argentum, aurum ingens, ingentia longo
Aſſeruata ęuo gemmarum pondere cernas,
Intextasq; auro telas, gemmisq; micanteis
Immixtis, ſtringit ſpectantum lumina fulgor.
Nec minus Auſtriaci proceres, ꝓceresq; Poloni
Interea, gaza exornant ſe diuite, lęto
Murice, candenti argento, fuluoq; metallo,

Esse rati dignum, totas effundere uireis,
Quantas quisque potest, unaque absumere luce,
Ad Regis decus, & tedę regalis honorem,
Diuitias, gazamque omnem, atque profundere uitam
Iam natam Austriacis Rex Ferdinandus ab oris
Sarmatiam ad magnam pacta ad connubia mittit,
Quam multus comitatur honos, quā plurimus heros
Et nitido longe fulgentes ære cateruæ.
Illam chara parens á se discedere mœret,
Et longum, mea nata, vale, vale, inquit, euntem
Amplexa, i, lachrimisque genę maduere subortis
In verbo, tenerum matris testata dolorem
Linquit, digno Regi socianda Polono.
Hoc & idem faciunt socię, pulchreque sorores.
It portis, aurora altos cum lumine monteis
Respersit, late & celo nitet aurea, matres
Flent discedentem Austriacæ, innuptęque puellæ.
Coniugio & tali partter lętantur eędem,
Letitia & meror rebus miscentur in ijsdem.
Illi Cracouia missus Macioschius heros
Quem bifida in mitra veneratur Plozca, colitque
Obuius it, specię ante alios pulcherrimus omneis
Sauromatas, longo quos circuit Istula flexu.
Cracouia, magna late comitante caterua,
Exit, quem phaleris, maculisque insignis, & albo,
Portat equus, nitet ipse auro, gemmaque micanti
Perstringit fulgore oculos, turbatque nitore.
Regali sequitur pubes quem splendida luxu.
Hoc quoque munus obit, fortis Latalitius heros,
Quo ductore omnis sese Posnania latis

Effundit campis, atq; hosteis arcet ab agro
Sarmatico, completq; inimico sanguine campos.
Obuius it quoq; Reginæ Srzenoschius heros,
Ducere Plozceas acies, cui summa potestas,
Cuius ductu hostem inuadunt, Martemq; fatigant:
Finitimos vt venit agros, vrbiq; propinquat
Cracouiæ Regina, sua vt det membra quieti,
Longa fessa via, Balicę successit amænæ,
Interea verso nox incubat humida coelo,
Sydereoq; humileis solatur lumine terras.
Postera cum lucem terris aurora reduxit,
Sustulit & rutilus se gurgite Phebus ab alto,
Corripit e thalamis sese Regina. petitq;
Sancta aras. verbis vbi liba potentibus ingens
Concipiunt numen, spiransq;, & bachicus humor
Sanguinis induitur speciem. & se soluit iu vndam,
Audijt ut sacrum, diuosq; in uota uocauit.
Supplicibusq; oculis hausit spirabile numen.
Ante uiæ quam se credat, nam iam aureus orbem
Sol mensus medium, tenueis contraxerat umbras,
Discubuit mensæ, & socios discumbere iussit,
Vna ut deinde viæ se se commitere possint,
SISMVNdus tunc Augustus Rex, altera gentis
Sarmaticę spes, Sarmaticę & noua gloria gentis,
Priscum maiorum morem. ritumq; sequutus,
Sponsam excepturus, multis cum millibus exit
Cracouia, sublimis equo, multo grauis auro
Gemmisq;. æthereos longe sperantibus igneis,
Illum Sarmatici proceres, equitesq; sequuntur,

Millia

Millia quot nunquam sunt istis uisa sub oris.
Illum Pruteni Dux optimus orbis, Achillem
Qui prȩstet, Martemq; ipsum debellet in armis,
Armato sequitur comitatus milite, criste
Queis capite effulgent longe, coniq; comantes,
Nec bellator equus sessorem portat inermis.
Ibat & huic comes illustris Gamrateus heros
Cui vrbs hæc mitram dat, Gneznaq; pallion addit,
Rarus honos, & qui uix uni cotingit olim,
Ibat fulgenti late comitante caterua,
Quam multo splendentem auro, argentoq; nitentem
Ferre oculi nequeunt spectantum, atq; ora tueri.
Non hic fama ingens, rebusq; ingentior ipsis,
Belli horor, seuisq; idem Mars alter in armis
Tarnoschus deerat, non hic Tarnoschia pubes,
Quȩ semper fremit arma, & toto pectore querit,
Lunam etenim, & supra radiantem crinibus aureis;
In longa turma, comitatuq; ære corusco,
Prospecto stellam, longe & splendescere cerno.
Hic genus egregium Gorchȩ non defuit, heros
Andreas, ditione potens, & fortibus armis.
Vestibus hunc atris, tenui quas neuerat ore
Pendulus arbuteo in ramo denso agmine bombix.
Sponte sua includens tenebris se & carcere cæco
Ingenti in turma comitatur plurima pubes,
Patris enim memor æthereas. qui nuper, ad oras.
Vltima passus, ijt, coeloq; inuectus aperto est,
Et multa cum laude suos, vitamq; reliquit,
Mœrentem testari animum, tristemq; dolorem;
Hac uo

Hac uoluit specie, qui ne lętis hymeneis
Triste omen ferret, multum dehinc addidit aurum,
Torquibus & geminis onerauit colla sequentum
Hic quoq; consilijs Volschus pulcherrimus autor
Ingenti splendet turma, & fulgentibus armis,
Atq; suum regem multo comitatur honore:
Hic radiuilones, duri tria fulmina Martis,
Barbaricis splendent in equis, septiq; caterua
Ingenti, multo insignes spectantur in auro.
Inclitus, hic bello tuus est Lancicia ductor
Maximus hic armis Inouodislauia ductor
Est tuus, ornatu resplendent ambo decoro,
Cincti ambo nitido comitatu, armisq; corusco,
Hic Ialinschęi, patrem tardante senecta,
Missi ibant iuuenes charo pro patre, gradiui,
Gloria quem Martis multos exercuit annos,
Dum uires, solidoq; uigebat corpore sanguis,
Dextra hic regno olim dictis nunc utilis autor.
Ibat & hic Boner, argento spectandus & auro,
Filius hunc iuxta, insignis florensq; iuuenta,
Argento multo, multo circumdatus auro,
Plurima quos sequitur, clipeis armata iuuentus,
Argento clipeis solido, quorum ethęra candor
Verberat, exuperatq; micantis lumina solis.
Hunc stupet vrbs omnis, gaza & miratur in ipsa.
Multi alij, quos est longum numerare, sequuti,
Sublimes in equis, ostroq; auroq; decori,
Et longo septi comitatu, & fortibus armis,
His equitum turmis Rex castra uenit ad ipsa,

Quæ campo in medio stabant tria, more uetusto,
Non procul a muris urbis, celso edita coelo.
Indecp Reginam misso oratore salutat.
Nec minus hic, medijs dum Rex expectat in agris
Officiosus eques Balicem petit, arduus acri
Vectus equo celeres præuertit cursibus auras,
Vt Regi referat, quantus decor oris, honosqꝫ
Reginæ sedeat, quæ augustæ gratia frontis.
Accendunt Regem, cura qui sautius acri
Iam dudum est, magis atqꝫ magis, quę quisqꝫ reportat.
Vritur, ingenteisqꝫ auditis concipit igneis,
Nec sufferre moras Rex iam ualet amplius ullas.
Incusat coelum, pigro quod uoluitur axe,
Incusatqꝫ uiam, spaciosiqꝫ æquora campi,
Quæ pulchra a Balice tam longe ad castra supersunt
Ter uoluit morem, & notum rescindere ritum
Immissis & equo Balicem ruere actus habenis
Consilio ter se, ter se ratione repressit.
Antiqui ne quid moris, ritusue refellat.
Consessu interea, iam longum uisa morari,
Postquam epulis depulsa fames, mensisqꝫ remotas
Albenteis mappas, celeres plicuere ministri
Surgit Regina. & comites iubet ocyos omneis
Scandere equos, dicto festinant ocyus omnes,
Subijciuntqꝫ in equos properato corpora saltu.
Illa puellarumqꝫ & matrum septa corona,
Ascensu superat currum, Balicemqꝫ relinquit.
Et ne Rex campo in medio, gelidiqꝫ sub axe
Aetheris, expectet uenientem, immittere habenas
Aurigas iubet, & currus agitare citatos.

Atq; ubi iã ad cãpos,ubi ſtant caſtra ardua, uẽtũ eſt,
Vicino Regina loco conſiſtit, amicos
Vnde poteſt regis uultus ſpectare, decoram
Et ſpeciem,qua Sauromatas ſupereminet omneis.
Tunc equitum turmas,quæ ſe ſectantur ab urbe,
Ingenteis,circum currus Rex imperat ire,
Reginæ ante oculos,urbemq; redire priores.
Imperio lęti parent & iuſſa faceſſunt.
Procedunt,agitant & equos,& calce fatigant
Ferrato, toto late ſonat ungula campo.
Miratur Regina uiros, miratur & auri
Vim magnam,& nitidas ſtringenteis lumina ueſteis
Ingentem & comitatum,onerata & colla catenis,
Inſigneis miratur equos,phalerasq; ſuperbas,
Quæq; leui pendent operoſa monilia collo.
Nec minus in turmis uarios miratur amictus,
Et niſi Sauromatas ſciat eſſe, putauerit,illic
Eſſe hominũ genus omne,hic ueſtem indutus Iberã,
Ille Italam,eſt auras qui uertice pulſet acuto,
Implicitis capiti longis mantilibus alto.
Ingentem fert ille rotam,qua cingula nectit,
Pectore ſub patulo,quæ pondere uergit iniquo.
Hunc ſinuoſa tegit talos demiſſa ſub ipſos
Veſtis, & anguſto conſtringit brachia panno.
Prolixæ ille togę,talos quę pendet ad imos,
Anguſtamq; breuemq; addit, quę cingula uix dum
Attingit,nudosq; relinquit auara lacertos.
Tot rerum facies iam lumina feſſa uidendo,
Obtutu ſteterant ægro,fractoq; rigore
Deiecere aciem,uisq; omnis lapſa tuendo eſt.

Regina ergo oculos, iam dudum cernere fessa,
Auertit, nec iam argentoq; auroq; cateruas
Squallenteis, spectare oculis ualet amplius ægris.
Interea occiduas Phebus properabat ad oras,
Et celeres urgebat equos, quare humida ne se
Inferat, inq; ipsis medios nox occulat agris,
Iam dudum dextram dextræ coniungere visum.
Procedunt ergo Rex & Regina sub ipsis
Castrorum spacijs, æquatis passibus ibant
Castrorum ad medium, qua murice tecta rubenti,
Scindit ab extremis campum breuis orbita castris,
Castrorum in medio, pariter quo uenit vterq;
Coniungunt dextras, tedeq; iugalis amorem,
Hic, quanquam toto turbatus pectore Rex est,
Regine ut uidit vultus, flagrantiaq; ora,
Luminaq; ætherei radios æquantia solis,
Pauca refert. o clara oculis lux reddita nostris,
Vt tandem accipio te, ut tandem cernere coram
Te, dulcis mea sponsa, datum, mea sola uoluptas,
Nostri o spes Regni, nostræ o spes vna salutis,
Succedas regnis, disce hæc tua regna uocare,
Sauromatasq; tuos, his est & quicquid in oris,
Dixerat, & dicta egregio sic ore sequuta est,
Virgineo suffosa oculos Regina rubore.
Rex Iagellonis genus, & uerissima imago,
Ad tua me pater, ad tua me, Rex optime, mittit
Limina, connubia ut pacta, inceptosq; hymeneos
Expleam, & extremæ coniungar fœdere tedæ,
Ecce adsum tua sponsa, tuis successimus agris,

Nulla

Nulla vnquam indecores, faciam, nos arguet ætas
Austriacumque genus nunque sociasse pigebit
Iagelloneo, regnique in parte locasse.
Hic finem fandi Elisabe pulcherrima fecit.
Talibus Elisabes dictis defixa tenebat
Obtutu Rex ora, stupensque hærebat, amore
Accensus miro, totam dum lustrat & haurit,
Explerique nequit uultus atque ora tuendo,
Sydereos uultus, diuinaque uirginis ora.
Et nisi iam piceis nox aduolet humida pennis,
Immineatque, actis iamiam ruitura tenebris,
Rex nunquã, o nunquã, se rex nũquam inde tulisset,
Defixos oculos uix tandem flexit ab illa,
Iam scansurus equum, cœlum, quod dixerat ante
Axe pigro uerti, nunc præceps dicit, & alis
Ferri ait, atque leueis præuertere cursibus Euros.
Ergo Cracouiam pergunt, prius humida quam nox
Oceano ruat, & nigris res occulat umbris.
Cum iam Cracouiæ muris Regina propinquat
Defixum terræ festinus linquit aratrum
Rusticus, aeriaque stupens prospectat ab ulmo.
Lætaque uisendi studio Cracouia circum
Fusa ruit, miroque uolans festinat amore,
Non uia, non campi populum capit æquor aperti,
Omnia complentur, tectis nec parcitur ipsis,
Hærent parietibus iuuenes, trabibusque domorum
Prensantes manibus, trabium capita aspera aduncis
Spectat ab excelsa uirgo speciosa fenestra.
Infantem & mater nexis tenet ægra lacertis.

Facundusq; senex foribus bipatentibus astat,
Plurima commemorans ueterum solennia Regum,
Pompasq;,occursusq;,exactaq; gaudia regni.
Ecce urbem ingreditur multo spectabilis auro,
Teutonicam morem ad patrium circundata pallam,
Horrentem gemmis,nodisq;,auroq; rigentem.
Miratur, tacitosq; oculos circumq; supraq;
Aspectu uoluit placido, perq; omnia uersat,
Quantum acies intenta ualet,capiturq; locorum,
Atq; urbis specie,& uariati gentis amictus.
Contra autem populus defigit lumina in illam,
Miraturq; graueis uultus,& frontis honorem,
Egregijq; oris decus,aspectusq; benignos,
Augustam & speciem,qua longe cætera uincit.
Ducitur excelsam longeui Regis ad aulam,
Rex autem sacra uenientem expectat in æde
Proxima quæ est aulæ,merito occursurus honore
Et iuxta Bona,Sforciacum genus,optima coniunx
Regina, illustriq; eadem de sanguine Regum.
Rex prior occurrit,iuncta atq; ubi dextera dextrę est
Reginamq; oculis paulum lustrauit,amicos
Compositus uultus,sic uoce silentia rupit.
Elisabe, genus Austriaticum,Regisq; propago
Ferdinandi, ut tandem accipio te, Regia uirgo,
Dulce senectutis nostræ solamen,amorq;.
Quam dudum optaui nostris succedere Regnis,
Ad natiq; thorum,sociumq; uenire cubile ,
Subsidium hinc generis, nostri hinc & gloria regni,
Aduentus lux ista tui, celeberrima nostris
Semper

Semper erit Regnis, & erit letiſſima ſemper
Hec ubi Rex fatus, ſequitur pulcherrima coniunx,
Coniuncta & dextræ dextra, ſic farier orſa.
Salue Fernandi proles decus addita nobis,
Fernandi, quem ſumma manent faſtigia rerum,
Egregium genus, & noſtræ ſpes una ſenectæ,
Haud ingrata iſti Regno ſuccedis, & aulæ,
Sic paucis finem preſſo dedit ore loquendi.
Interea terras nigra nox occulit umbra,
Diſcedunt, tectis & ſe Regalibus addunt.

AD SAVROMATAS.

Parcite Sauromatæ, ſi ueſtras ſcribere pompas
    Dum uolo, præterij carmine multa meo.
Conſilio feci, ne lector ſomnia credat
    Forſan, & ulla putet carmine ficta meo.
Nam maiora fide pompa feciſtis in iſta,
    Et quæ, qui credat, Sarmata ſolus erit.
Hæc omnis credet, quamq; admirabitur, orbis
    Quæ, ſint magna licet, uera putare poteſt.

Cracouię in Officina Vngleriana.
Anno Domini. 1543.
Menſe Maio.